JOHANNIS BACKMEISTERI,

Juris-Consulti,

TRACTATIO JURIDICA,

DE

RENUNTIATIONE FILIARUM ILLUSTRIUM,

Von

Fräulein-Verzieg;

IN

FLORENTISSIMA AC CELEBERRIMA ARGENTINENSIUM UNIVERSITATE

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Anno 1682. habita.

B. C. D.

IN res creatas hominibus competens facultas, non tantum efficit, ut iis libere uti, sed & abuti *L. 25. §. 11. de petit. hæred.* imo jure quoque suo se abdicare possint *L. 29. C. de pact.* id enim est privilegium a natura ipsa Liberis hominibus concessum, ut habeant plenam potestatem faciendi ea, quæ cuique facere libet. §. *I. de I. pers.* modo non officiant conservationi totius, ad hanc siquidem omnia dirigenda, & ne tertio cuipiam præjudicium creetur, factum enim cuique suum, non alteri nocere debet *L. 27. §. 4. de pact. L. 155. de R. J.* Hinc nec Juri communi renuntiare licet, si e. g. socii præjudicium subsit vel res commode dividi nequeat. *Gail. 1. O. 40. 11. 40. Mynf. 5. O. 63. t. t. C. de comm. rer. al.* Nam si hæc divisionem non recipiat, ne quidem pro parte renuntiantis subsistet *L. 17. de pact. dotal. L. 7. de postul. L. 8. §. 2. de procur. Gipham. de Renunt. c. 3. p. 552.* Atque ideo uti cuilibet licet patrimonium suum quocunque licito modo augere ac conservare, ita quoque in favorem tertii Juri prose introducto renuntiare *L. 41. de Minor.* quod enim Lex mihi mea causa dat, eo mihi etiam non uti licebit, *Cic. 3. in Verrem.* idque in omnibus Juribus, quæ in bonis renuntiantis sunt, ejusque proprium interesse concernunt *L. 27. §. 4. de pact.* procedit, sive illud sit Jus rerum, sive personarum, illudque vel in re, ut Dominium, tam plenum §. *40. 44. 46. de R. D.* (modo quid externum animum renunciandi declarans accedat *L. 17. §. 1. d. a. l. a. poss. L. 2. §. 1. L. 5. §. 1. pro derel.*) quam minus

nus plenum, ut Emphyteus. *t, t. C. de J. Emphyt. Aurel. Corbul. de Emphyt.* Feudum, quod proprie dicitur refutatio *2. F. 9. 38. 49. Mynf. 5. O. 65. Struv. S. J. F. c. 12. §. 14.* quo faciunt quoque modi dominii acquirendi, sive sint ex J. Gentium, ut Venatio §. *12. de R. D.* & aliæ occupationes in littore alibive factæ, quibus tacite quasi renuntiatur, dum Principibus solis hæc jura exercere concessum. vid. *L. 7. de diverf. & temp. præsc.* sive ex J. Civili, ut Usucapio, *pr. J. de Usuc. L. 30. §. 4. de a. l. a. poss. Mynf. 4. O. 35. n. f.* Donatio *L. f. C. d. pact. int. E. & V. Giphan. de Ren. c. 5. p. m. 396.* &c. Servitus *L. 20. & 31. de S. U. P. L. 20. & 24. d. S. R. P.* Pignus *L. 17. §. 2. de pact. t. t. C. de remiss. pignor.* Possessio *L. 3. §. 6. L. 17. §. 1. L. 30. §. 4. de a. l. a. poss.* Hæreditas, de qua mox, sive ad rem, idque oriatur vel ex contractu, tam vero, eo que vel reali *L. 23. de Donat.* vel verborum *L. 77. §. 16. de Leg. 2. N. 136. c. 1.* vel Literarum *L. 4. C. de non num. pec.* vel Consensuali *L. 10. de a. l. a. poss. L. 15. §. 4. Locati. L. 65. §. 3. L. 4. §. f. pro Socio L. 22. §. f. Mandati,* quam quasi, sicuti hoc per omnes quasi contractuum species ostendit, *Thoming. pe Renunt. Th. 17. lit. G.* vel ex delicto, hocque tam vero quam quasi delicto, privato vel publico, observatis tamen juris regulis ac distinctionibus, uti hoc fusius demonstrat laudatus *Thoming. in sequ. lit. I.* Nec personarum Jura aliena sunt a facultate senunciandi: potestati enim ad Libertatem proclamandi *L. 4. quib. ad Lib. procl. non lic.* Item Juti Civis & Incolatui *L. 34. ad Municip. Instr. pac. Cæs. Suec. art. 5. §. 12.* nec non Familiæ §. *6. & 8. J. quib. mod. patr. pot. solv. L. 5. C. de Emanc. Libb.* renuntiare licite quis potest: quin & in Officiis, hisque tam Ecclesiasticis, ut Pontificatu *c. 1. de Renunt. in 6.* Episcopatu, Prælatura, *t. t. X. de Renunt. Reink. de R. S. & E. cl. 1. c. 1.* Jure Patronatus *c. 14. X. de J. Patron. c. un. Eod. in 6.* quam Secularibus, ut Imperio, Regno, vid. *Lamp. de Rep. Rom. Germ. P. 3. c. 2. §. 7. seqq. ibique Conr.* officio vel munere publico, *Dalner de Renunt. c. 1. n. 10. 11.* Renuntiatio locum habet, quales Renuntiationes speciali nomine vocantur Resignationes. Sed his omnibus pertractandis, cum vix magna Volumina, ne dicam exiguæ hæ pagellæ sufficiant, placuit unicum Renuntiationis Objectum, HÆREDITATEM nempe seligere, paucisque perlustrare, quamvis ne hoc quidem quoad omnes suas partes, sed quod ea tantum jura, quæ sequiori sexui circa illud competunt: Nec tamen ea pro materiæ dignitate enucleare vel temporis & loci ratio, vel ingenii imbecillitas permittit; quare accuratiora commodiori occasioni ac tempori reservamus, inter ea tamen B. L. submisse rogamus, præsentia hæc, qualiacunque sint, æqui bonique consulere ne dedignetur.

I.

VIX ulla in Juris parte Leges Civiles adeo deprehenduntur sollicitæ, quam circa dispositiones Hæreditatum: summam enim hic adhibuere curam, ut vita decedentes *debiti* pariter sui ac *officii* admonerentur, ne Libertas ejus

quod,

quod iterum non redit, arbitrii impediretur, & tamen æqualia jura iis, quo natura æqua sorte nasci voluit, sine ulla ætatis sexusque discrimine distribuerentur, parique successionum jure amicitia fraternaque dilectio conservaretur *L. 6. §. 2. C. de bon. quæ Libb. L. f. C. comm. utr. jud. L. 77. §. 20. de Leg. 2.* quantas enim inæqualis successio excitaverit discordias, quæ in parricidia, fratricidia & alia detestanda facinora erupere, ostentit *Betf. de pact. & Stat. fam. ill. c. 5.* quod ipsum ob summam ac evidentem æquitatem posteriora secula sanctæ custodierunt: Successu tamen temporis inter Illustres potissimum Nobilesque Familitas invaluit, ut in successionibus suis ætatis sexusque differentiam denuo introducerent, uti ex recepto Primogenituræ & Majoratus jure, usitataque Filiarum illustrium renuntiatione apparet.

II. Quemadmodum autem consuetudine introductum, ut ætas major minorem repellat. *Tiraqu. de I. primog. præf. n. 3. sequ. Schuckhard. de I. regio n. 3.* ita quoque diuturni mores, consensu utentium comprobati, sexui Masculino præ fœminino prærogativam tribuerunt, in tantum ut hodie in plerisque familiis ac provinciis orbis terrarum in Jus fere abierit hæc Fœminarum renuntiatio, teste *Fichardo T. 1. Cons. 3. n. 8, Knipsch. de fideic. fam. illustr. c. 8. n. 206.* In quibus moribus nihil est quod Juri s. Naturæ s. Divino contrarietur, quin potius omnia iis consentanea sint: illa enim dignitatis præeminentia sexui masculino a Natura tributa, nec non præstantia judicii, ut & fortitudinis aliæque multæ prærogativæ satis innuunt, naturæ haud absonum esse, in successionibus etiam sexus rationem haberi. *Musc. de succ. conv. & anom. cl. 1. concl. 4. lit. B. n. 111. Knipsch. c. tr. c. 8. n. 173. Arnis. de Rep. l. 2. c. 2. Sect. 12. n. 61.* Quibus non officit, quanto Liberi a Natura ad Parentum hæreditatem vocari, paternaque bona Liberorum causa acquiri asseritur, ut a *Paulo Apostolo in Epist. ad Rom. 8. v. 17. & ad Galat. 4. v. 7.* & Paulo *ICto in L. 7. pr. de bon. damnat.* ne dicam barbarica notetur observantia ipsamque naturam accusans, quæ filias a Parentum successione excludit. *L. 4. C. de Libb. præter. L. 14. C. de Legit. hæred. §. 15. L. de hæred. quæ ab int. def. N. 21. pr. & c. 1.* Erenim licet successio Liberorum sit naturalis, Liberique æqualiter ad Parentum hæreditatem vocentur, Juri tamen Civili relictum determinare quantitatem, quæ ad minimum in testamentis vel pactis successioriis observanda: aliquam enim portionem Liberis relinquendam natura jubente constat, quanta autem & qualis illa esse debeat, hoc est, quod non natura sed Legibus est definitum, sunt verba *Illustris Enenckelii, Baronis Hobeneccii, in tr. de priv. par. & Libb. priv. 14. P. 1. c. 12. n. 4. vers. Aliquam &c.* Imo etiam si hoc non esset, prævaleret tamen salus publica, tanquam suprema in Republica Lex *L. Un. §. 14. C. de caduc. toll. L. 3. C. de primipil.* Licet igitur præceptum Naturæ sit, ex se natos sine sexus discrimine diligere, attamen & hoc rationis naturæque socialis præceptum est, magis

gis diligere patriam, illiusque salutem in omnibus nostris actionibus & negotiis cuilibet privatæ utilitati anteponere *L. 19. §. f. de capt. & postl. reverf. L. 6. C. si contr. Jus l. util. publ. Aut. Res quæ, in f. C. comm. de Legat. N. 38. c. 1.* habebitque hic locum vulgata regula: In concursu duorum præceptorum Juris, quorum alterutrum tantum servari potest, levius sortiori cedere debet. *Vid. L. 35. de Rel. & sumt. fun.* unde multa contra rationem ob utilitatem publicam recepta dicuntur, in *L. 51. §. 2. ad L. Aquil.* Add. *Petr. Ant. de Petra de pot. Princ. circa Ius quæs. toll. c. 32. qu. 4. n. 5. & cit. Ill. Baro Enenk. c. l. priv. 1. c. ult. n. 24. sequ.* & in *tr. de priv. l. Civ. c. 6. n. 4.* ubi Rempublicam primam dicit esse caussam, ob quam Jus alterius imminuere licet. Nec peccat Majestas Civilis, tale quid constituens, contra Ius naturæ: quin potius illud prudenter explicat. *Lansius de L. Regia th. 89. & in Diss. de Lege & cura Rel. th. 30.* Salvo igitur Jure naturæ non Lege solum sed & pacto constitui potest, ut iis, qui ex conjugio, quoad cœtera justo & legitimo, nati sunt, alimenta tantum præstentur, aut illi a præcipua hæreditate excludantur. *Puff. de I. N. & G. L. 4. c. 11. n. 8. Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 7. §. 23.* qui & in *d. c. §. 11.* tradit, hanc succedendi rationem naturali conjecturæ maxime esse consentaneam, non vero ex J. N. necessariam, proinde quæ ex diversis causis voluntatem humanam moventibus posse variari.

III. Consentit Jus revelatum in præcepto populo Judaico dato. *Num. 27. v. 8.* quod exstinctis omnibus Masculus filias demum ad avitam successionem accedere jubet. Vid. *Zepper. de LL. Mosaic. L. 4. c. 23. p. 611. Selden. de Success. Hebr. c. 1.* Et quamvis constitutio hæc ad Jus divinum morale referri nequeat, minus nos Christianos ad observantiam obliget, juxta commune Theologorum & JCtorum axioma, quo de vid. *Reink. de R. S. & E. L. 2. cl. 2. c. 3. n. 12. Grat. c. tr. l. 1. c. 1. §. 16. n. 7.* obligabit nos tamen sub ratione doctrinæ generalis, quatenus videlicet optimam J. N. determinationem exhibet, ostenditque, quid DEus approbet, justumque esse censeat. *Hoffenref. in Loc. Theol. l. 3. Loc. de Lege. August. de vera Rel. c. 31. Hugo de Roy. tr. de eo quod just. est l. 2. t. 3. §. 1. Gaudent. de fœm. Excl. a succ. c. 1. & 2.* Add. *Petrus Pythæus in coll. LL. Mos. Selden. de Succ. Hebr. & Grot. c. l. §. 17.* Pariter in divisione terræ Canaaniticæ nulla fœminarum habita est ratio, *Seld. c. tr. c. 19.* quem & *c. 23.* de filiarum Zelaphehadis successione latius vide.

IV. Hanc Jurisdivini dispositionem æquissimam judicantes plurimæ gentes, eam sibi propriam fecere, uti de tota Asia & Africa testatur *Bodinus de Rep. l. 5. c. 5. Vult. Cons. Marp. V. 2. Cons. 29. n. 36.* De Italia *Menoch. de A. I. Quæst. cas. 149. pr.* Italiæque Provinciis, Mantua, Florentia, Luca, &c. *Tusch. lit. S. Concl. 666.* De Gallia, *Gothofr. ad L. 3. C. de collat. lit. K. Springsfeld, de Apan. c. 12. n. 64.* De Hispania, *Cov. & Gutierez ad c. quamvis d. pact. in C. Fontanella d. pact. nupt. claus. 9. gloss. un. P. 2.* & præter alia recentissimum Reginæ Christianissimæ exemplum:

sicut

sicut & de Anglia novissima Ducissæ Aurelianensis renuntiatio. De Brabantia, *Everh. Cons. 96.* De Burgundia *Chasson. in Consv. Burg. rubr. 7. §. 12. pr.* De Germania *Fichard. V. 1. Cons. 3. n. 8. Arnis. de Rep. l. 2. c. 2. Sect. 12. n. 49. Klock. T. 3. Cons. 101. n. 3.* Quæ gentes, ut moratiores, I. Cantabris, solas filias instituentibus, *Strabo L. 3. Geogr. I.* Tarentinis, filiis præter arma nihil relinquentibus, *Gvevar. horol. Princ. l. 2. c. 36. n. 378.* merito erunt præferendæ. Add. *Anton. Robert. rer. jud. L. 2. c. 4. Knipsch. c. tr. c. 2. n. 209.*

V. Jus Romanum Justinianeum magis huic consuetudini refragari videtur, dum enim Lex XII. Tabb. præponeret Masculorum progeniem *pr. I. de SCto Tertull.* & Lex Voconia ultra quadrantem Mulierem hæredem instituere vetaret. *Paul. 4. Sent. 8. August. de LL. & SCtis p. 154.* mediæ vero Jurisprudentiæ commodius videretur ita Jura constitui, ut plerumque hæreditates ad Masculos confluerent §. 3. *I. de Leg. Agn. Succ.* §. 15. *I. de hæred. quæ ab int. def.* Valentinianus, & Theodosius, & Arcadius Imperatt. in L. 4. *C. Theod. de Legit. hæred.* sexus differentiam sustulerunt, quæ Lex aliquatenus mutilata exstat in L. 9. *C. de suis & Legit. hæred.* quorum sententiam ipse Justinianus confirmavit in L. 14. *C. de Legit hæred. N. 21. pr. c. 1. N. 118. c. 1.* Accedit communis Statuum Imperii consensus in *R. I. de anno 1521. & 1529.* quibus sanctionibus Juris Civilis contraria Statuta condere odiosum dicit *Betz. de pact. fam. ill. c. 10. p. 640. Alb. Gentil. de I. Belli L. 1. c. 3. p. 26. Borell. Cons. 49. n. 66.* Sed sicuti antiquam L. Voconiæ & XII. Tabb. nec non mediæ Jurisprudentiæ determinationem ratione modi succedendi Divis principibus intetvertere licuit, tanquam dispositionem Juris positivi, quæ, ob evidentem Reipubl. utilitatem, per se, sicut cætera omnia, instabilem ac mutabilem, *N. 7. c. 12.* semper mutari potest *L. 32. de LL.* mutata rursus utilitate & necessitate publica, sequentibus quoque temporibus antiqua Jura revocare & antiquarum Legum reverentiam novitati Legum anteponere licuit. L. 14. *vers. hujusmodi C. de legit. hæred. Const. Tanta.* §. 10. *de confirm. forum.* idque vel expresse, per Legem contrariam, vel tacite, per diutornos mores consensu utentium comprobatos, qui Legem imitantur §. 9. *I. de I. N. G. & C. L. 35. & 37. de LL. L. 2. C. quæ sit long. consv Breul. de Renunt. caus. 1. c. 2. n. 8.* qui *c. 3.* ostendit necessitatem publicam introducendæ hujus Consvetudinis, *& Muscul. de succ. conv. & anom. membr. 2. cl. 1. concl. 4. lit. B. n. 125.* ex Orlosh. conqueritur, Justiniani constitutionem multa generosæ Nobilitatis capita sepelivisse, multas Illustrium Virorum stirpes eradicasse. Textus Recessuum Imperii in contrarium adducti nil movent, siquidem ibi Statuum Imperii mens non fuit omnem sexus differentiam in Successionibus tollere, sed saltem amputare materiam litis, quæ ex ambiguitate textuum Juris communis circa Successionem Liberorum Fratrum sine Thiis suis patruo succedentium, utrum scilicet tum in stirpes an in capita fieri deberet, sæpius orta, & a magni

nominis JCtis pro & contra erat agitata, quorum argumenta maximam partem exhibet *Bach. ad Tr. V. 2. D. 16. th. 5. lit. B.* Add. *Stryck. de Succ. ab int. c. 4. art. 2. §. 5. 6. & 7.*

VI. Ex dictis de rationabilitate hujus Consvetudinis sufficienter constare credo, ea siquidem consvetudo, quæ bonum publicum intendit, nec juri Naturali vel Gentium adversatur, merito pro rationabili habetur. *Reink. de R. S. & E. 2. cl. 2. c. 9. n. 10.* De diuturnitate autem temporis actuumque frequentia satis testantur Renuntiationum Instrumenta, videnturque hæc esse ita notoria, ut ulteriori probatione non indigeant. *c. 3. X. de Testib. cog. Gail. 2. O. 31. n. 17. Carpz. P. 2. C. 3. D. 22. n. 4.* Ex quibus consensus illius, penes quem est Legem ferendarum potestas, colligitur. *Gail. c. l. n. 9. & 15. Mynsf. 6. O. 41. Vult. V. 1. Cons. Marp. 33. n. 75.* Quæ perpendentes Ecclesiæ Romanæ Præsules, renuntiationes hasce, tanquam bonis moribus neutiquam contrarias, modo juramento confirmatæ, & aliquid dotis nomine relictum, servari quoque voluerunt, sicut hoc ex decreto Bonifacii VIII. in *c. quamvis 2. de pact. in 6.* luculenter apparet, cui capitulo, etsi nonnulli, ex ipsis quoque Pontificiis, non adeo magnam tribuant autoritatem, & illud non tam Juris Romani, sub prætextu religionis, servandi scil. Juramenti, corrigendi, quam privatæ potius utilitatis causa conditum tradant, quo nempe Bonifacius VIII. Antecessoris sui Cœlestini V. factæ renuntiationis Pontificialis dignitatis justitiam demonstraret ac commendaret: Verum eum ex multis Juris Canonici locis appareat, quanta fuerit Summorum Pontificum Sanctorumque Patrum cura in custodiendis & servandis juramentis rite celebratis, vid. *c. 28. X. de Jurej. e. 2. Cod. in 6.* præterea etiam usus & observantia dispositionem hujus capituli approbet, de ipsius validitate dubitare nolo. Add. *Fontanel. de pact. nupt. claus. 9. Gloss. un. Part. 2. Kohl. de pact. dotal. P. 2. n. 7. Forster de succ. ab int. L. 4. c. 24.*

VII. Ipsa jam Renuntiatio ex hac consuetudine profluens quoad potissima sua requisita haud incongrue ita poterit describi, ut dicamus esse juris succedendi ab intestato debiti in favorem agnationis & utilitatem publicam a fœminis facta remissio, plerumque jurata, usu & consvetudine introducta & permissa. De nominali Definitione, quare non fuerimus solliciti, fecit aliorum cura, qui prolixiori calamo Renuntiationis materiam sibi pertractandam sumsere, quibus addimerentur, *Pardulph. Prat. in Lex. in Jur. verb. Renunt. Brisson de V. S. lib. 16. verb. Renunt.* Generis loco nobis commodum visum fuit Remissionis vocabulum, quoniam hæc Renuntiatio liberat a vinculo Obligationis & naturalis & Civilis illos, qui fœminis vel legitimam relinque, vel bono æqualiter cum iis partiri debuissent. *Kellenb. de Renunt. qu. 1. n. 18.* Nec enim Refutationis aut repudiationis nomina stare huc quadrant, siquidem illud in Jure proprie Feudis tantum tribuitur, hujus

jos autem a renuntiatione differentiam pluribus demonstrat, *Kellenb. c. l. n. 29. & Besold. P. 4. Cons. 271. n. 40.* quanquam in praxi quoad hanc materiam Renuntiatio promiscue tam de jure delato, quam deferendo dicatur.

VIII. Causa Renuntiationum Efficiens proxima est *Consensu Fœminæ renuntiantis*, certum enim est omnem renuntiationem præsupponere animum & consensum renuntiantiantis *L. 14. §. 9, de Aedil. Ed. c. quam periculosum 8. VII. qu. 1.* restanturque omnia Renuntiationum Instrumenta, illas non ex necessitate sed libera voluntate procedere, hæc enim vel similia verba in omnibus Instrumentis leguntur, **mit Unserm rechten guten wissen / willen und fürbetrachtung / ohn allen Betrug vnd Furcht.** Et hoc videtur verum esse, sive de Renuntiatione in aliqua familia introducenda, sive de jam introducta quæratur: De priori omnes consentiunt, de posteriori vero controvertitur, per ea, quæ habet *Nic. Everb. Iun. V. 1. Cons. 6. n. 9. & V. 2. Cons. 29. n. 6. Springsfeld. de Apan. c. 12. n. 60. seqq.* quæ tamen nihil aliud probant, quam consensum in renuntiationi introducta conditionatum esse & restrictum quadantenus ad consuetudinem s. pacta l. statuta familiæ, quem tamen etiam consensum esse, probat *L. 21. §. 5. quod met. caus. arg. L. 22. d. R. N.* Vid. *Bers. de pact. & stat. ill. c. 8. p. 367. & 404. seqq. Mynsi. Dec. 1. Resp. 10. n. 31. seqq. Kell. de Renunt. qu. 7. n. 6.* idque in tantum verum videtur, ut nec nuda promissio de renuntiando Effectum veræ renuntiationis producere valeat, sed differat adhuc a vera Renuntiatione ut pactum de emendo vendendoque ab ipso Emtionis & Venditionis contractu, *Muscul. de succ. conv. & anom. cl. 1. membr. 2. concl. 5. lit. F. n. 234.* quam tamen sententiam cum *Covar. ad c. quamvis de pact. in 6. Rel. 3 pr. n. 5.* limitat. *Kellenb. c. tr. qu. 7.* si promissio illa jurato facta. Add. *Giphan. do Renunt. c. 1. p. 312.*

IX. Illius quoque, cujus hæreditati renuntiatur, nec non ejus, in cujus gratiam renuntiatio suscipitur, consensus erit requirendus, idque ideo, ne ratione prioris Renuntiatio tertio illis insciis facta inducat votum captandæ mortis, sitque plena tristissimi & periculosissimi eventus *L. f. C. de pact. Pistor. P. 4. quæst. ill. 1. n. 2. & qu. 6. n. 40. Carpz. P. 2. C. 35. D. 10. & 17.* qui & *D. 19.* subsequentem consensum sufficere tradit. Add. *Ant. Faber in Cod. L. 2. tit. 3. Def. 10. n. 2. Covar. c. l. Rel. 3. pr. n. 6.* Ratione posterioris vero constat ex Legibus, pactum ad alios, quam cum quibus est initum, non esse porrigendum *L. 27. §. 4. de pact.* nec rem inter alios actam aliis præjudicare, *t. t. C. inter al. act. l. jud. al. non præj. L. 63. de re iud.* censeturque renuntiatio in dubio ejus contemplatione facta, cui fit, nec ad alias, quam personas expressas, extenditur. *Gadd. Cons. Marp. V. 1. Cons. 26. n. 190. & 218. Vult. V. 3. Cons. 35. n. 238.*

X. De populi denique vel Statuum regni consensu quæritur, an & ille sit necessarius in Renuntiationibus Fœminarum, quibus ex naturæ regni quoque

ad coronam adspirare licet? Quod negat *Belluga in Speculo Princ.* contraria tamen exempla passim reperiuntur. Et sane in regnis, quæ modum habendi acceperunt a populo, & ex libero populi consensu facta sunt hæreditaria, affirmativa magis atridet, in tantum, ut, licet de fœminarum successione in delatione regni nihil plane dispositum, ob præsumtam tamen populi voluntatem fœminas, ultimo quamvis loco & omnibus demum Masculis exstinctis, vocantem, ejus consensum adhibere, si non juris, quod tamen simpliciter non negaverim, certe consilii esse, existimem. Vid. *Grot. de I. B. & P. L. 1. c. 3. §. 11. & L. 2. c. 7. §. 12.*

XI. Personæ renuntiantes sunt Fœminæ proxime ad hæreditatem ejus, cui renuntiare volunt, venientes, ita tamen, ut illarum renuntiatio etiam reliquis in remotiori gradu constitutis noceat §. *1. l. de succ. cogn. Mantic. de conject. ult. volunt. l. 11. tit. 14. n. 6.* Licet enim in Nepote ex filia mutetur sexus, non tamen mutatur ratio exclusiva, quæ est favor publicus conservandarum familiarum *Albert. Brunn. Comm. sup. stat. excl. fœm. art. 6. n. 89. seqq.* quod & ad nepotem ex filio extendit, *Muscul. c. tr. cl. 1. membr. 2. Concl. 6. lit. C. n. 242.* Quod si fœmina renuntians Parentum fata antevertat, Nepotes ex ea natos hæc Renuntiatio ab avita hæreditate haud removebit *Gutierez. ad c. quamv. d. pact. in 6. summ. nec redundet. n. 2. 3. Covarr. ad id. Rel. 3. §. 2. n. 4. & §. 3. n. 6.* non enim ex Jure Parentum sed ex Jure proprio succedunt *Maranth. Dis. 10. n. 30. seqq.* inprimis si Mater nullam dotem accepit. Idem §. *2. n. 7.* Add. *Kell. q. 33. per tot.* nisi Statuto Renuntiatio introducta, vel Parentes pro se & suis hæredibus renuntiarint. *Carpz. P. 2. C. 35. D. 12.* Dum autem fœminarum tantum mentionem facimus, non omnem Masculorum renuntiationem negamus, uti quidem nonnulli facere conantur, ea potissimum inducti ratione, quod hic cesset causa renuntiationum finalis. Vid. *Zas. in L. 61. de V. O. n. 46. Muscul. c. l. concl. 4. lit. B. n. 153.* Contrarium enim ostendunt. *Gutierez. c. l. summ: a filia n. 4. Bach. ad Tr. D. 6. th. 8. Covarr. Rel. 3: §. 1. n. 2. Breul. de Renunt. caus. 4. c. f. Kellenb. qu. 1. n. 17.* Sed de his agere nostri non est instituti.

XII. Solæ igitur Fœminæ constituunt Subjectum hujus Renuntiationis, inter eas vero præcipue Nobiles & Illustres, utpote quibus præ aliis quædam concedenda. *c. 28. X. de præb. Bucholtz. in Resp. Jur. pro matr. Princ. cum Def. Vx. sorore n. 63. seqq. ibique all. Muscul. c. tr. concl. 5. lit. G. n. 229.* qui & inter plebejos eam nonnunquam locum invenire ostendit. Nec interest Majores sint i. Minores, per *Aut. Sacram. pub. C. si adverf. vend. Dauth. ad c. quamvis de pact. in 6. n. 60. seqq. Covarr. c. Rel. 3. §. 1. n. 4.* imo & juxta eundem *c. l. n. 5.* Impuberes pubertati proximæ, Habilis enim ad nuptias habilis est ad omnia pacta & congrua & solita. *Du Moulin sur la Coustume de Blois art. 161.* & ætas sufficiens contrahendis nuptiis, sufficere quoque debet

ineundi

ineundis pactionibus decoris & solitis, sine quibus nuptiæ fere non contrahuntur, non obstante *L. f. C. si maj. fact. rem rat. hab. Carpz. P. 2. C. 35. D. 9.* Sive in potestate Parentum sint constitutæ, atque sic sui hæredes, sive Emancipatæ, cum quoad Jus succedendi post *N. 118. c. 1.* Sui & emancipati æquari, modo tantum manente diverso: Circa dotationem etiam quædam occurrit differentia, de qua in §. 24.

XIII. Cum vero omnis Renuntiatio consensu constet, necesse est Renuntiantes gaudere facultate renuntiandi a Natura vel Lege non impedita, quale quid accidit illis, quarum ætas nimis tenera est §. 9. *I. de Inutil. Stip.* quæ tamen Tutore autore recte renuntiant, arg. *pr. I. de Aut. Tut.* vel quas fati infeliciras sana mente in corpore sano privavit §. 8. & 9. *d. t. L. 12. ad L. Corn. de Sicar.* His æquiparantur illæ, quibus nimius vini usus mentis induxit exilium, *c. 14. X. de vit. & bon. Cler. c. 7. XV. qu. 1.* quod in fœminis rarius: vel iræ impetus quasi extra se constituit, *L. 3. de Divort. L. 48. de R. I.* vel furor amoris continentiæ frena laxavit *N. 74. c. 4.* quod in fœminis frequentius: Nihil enim in fœmina modicum; si amat, uritur, odio implacabilis est, contempta, amens fit. Imo ingenere omnes, quæ non valide pacisci nec valide renuntiare possunt, in quamplurimis enim argumentum a pactis ad Renuntiationes procedit. Vid. *Castil. de Alien. c. 36. §. 1. n. 4.*

XIV. Objectum diximus Successionem ab intestato, s. illa per mortem Parentum delata jam sit, s. vivis adhuc illis tantum debita. Quod enim & delatum repudiari, vel potius liberi a delato abstinere possint, ostendunt. *L. 1. §. 7. de Success. Ed. L. 35. C. de Ineff. Test. L. 11. C. de Transf.* Vivente autem Patre quin spei succedendi renuntiare possint non videtur esse dubium, licet nonnulli multis rationibus id infringere conentur, quos citat *Illustr. Enenck. de priv. Par. Libb. priv. 14. P. 1. c. 13. n. 16.* Inter exiguas tamen, quas adducunt, rationes prævalet illa, quod Juri futuro non possit renuntiari, quam regulam idem confirmat in *tr. de priv. I. Civ. c. 16. n. 16.* Sed ipse *c. l.* ostendit, hic non tam renunciari Juri futuro, quam illi, quod sub conditione aut in diem debetur, competit enim Liberis Parentum hæreditas ex debito quodam naturali, vigore cujus vivis Parentibus Liberi quodammodo dicuntur Domini bonorum paternorum §. 2. *I. de hær. qual. & diff. L. 7. de bon. damnat. N. 1. pr. Grot. de I. B. & P. L. 2. c. 7. §. 4.* ut proinde in iis non tam successio sit quam dominii continuatio *L. 11. de Libb. & posth.* & sine aditione ipso jure jam sint hæredes, *L. 1. §. 6. si quis omis. caus. Test.* actu scilicet primo, ut vero & tales sint actu secundo factum hominis requiritur, quod vocatur immixtio *L. 12. L. 71. §. 4. de acquir. l. o. hæred.* quæ ex LL. XII. Tabb. erat necessitatis, ita ut invitis quoque suis hæredibus obtingeret hæreditas *L. 5. de cond. & demonstr.*

a Præto-

a Prætoribus tamen per beneficium abstinendi postea est mirigatum §. 2. *de hær. qual. & diff. L. 17. pr. de a. l. o. hæred. L. 39. de Leg. 1.* Idem dicendum de jure Liberis in bona defuncti alterutrius Conjugum nonnullibi locorum competente, quod Devolutionis vocant, de quod vid. *Stockman. de Jure Devolut. c. 18.* Et quamvis sint qui asserant Patris hic subesse turpitudinem filiam contra Jus fasque excludentem, vel saltem de hæreditate sive successione renuntianda cum ea paciscentem, injurii tamen hi sunt in Parentes, cum hujus renuntiationis ratio ex familiarum ac Reipublicæ utilitate quærenda: Imo si adesset quænam turpitudo, quanquam nondum ostensa, tolleretur tamen per consuetudidem Renuntiationem introducentem, quod enim Lege, tam tacita, quam expressa, permittente fit, turpe dici nequit.

XV. Dicta de hæreditate paterna locum quoque invenient in hæreditate materna, ad utriusque enim Parentis hæreditatem ex charitate sanguinis liberi æqualiter vocantur, *L. 5. §. 2. de agn. & al. Libb. Barz. Decis. Bonon. 97. n. 34. Cravetta P. 3 c. 486. n. 7.* Ubi tamen Patri ratione Usus fructus sibi in bonis maternis competentis nullum creatur præjudicium, §. *1. l. per quas pers. cuique acquir. L. 6. pr. C. de bon. quæ Libb.* Sed is ipsi salvus manet, modo non renuntiationi filiæ expresse consenserit, tum enim per consensum juri suo se abdicasse censetur, ita ut amplius ex persona filiæ Usumfructum petere nequeat. Idem obtinere volunt, si Mater testamento alium loco filiæ renuntiantis hæredem instituerit. Vid. late *Gutierez & Covarr. ad c. quamvis* quorum ille *in summ. nullum ad bona &c.* hujus *in Rel. 3. §. 2.* cum *Paul. de Castro in L. f. pr. C. de bon. quæ Libb.* sententiam conciliat.

XVI. Naturalis denique ratio, ponens primo amicitiam Parentum & Liberorum, ad fratrum de in amorem exinde ortum progreditur, unde & fraterna bona ab intestato ad Fratres Sororesque devolvuntur *L. f. C. quor. bonor.* atque sic pariter Objectum Renuntiationis constituunt. Uni tamen Fratrum facta renuntiatio portionis ab altero fratre ab intestato ad se venientis reliquis non prodest, cum Renuntiationes stricte sint interpretandæ. Secus si Renuntiatio bonorum paternorum uni Fratrum facta, ibi enim reliqui ad partem renuntiatam simul admittuntur, arg. *L. 9. ff. de suis & Leg. hæred.* nisi insuper illi, cui renuntiatio facta, res specialiter donata, vel alias donationis præsumtio adsit, arg. *L. 9. in f. pr. de Donat. L. 23. C. de pact. Gutierez ad c. quamvis. n. 6. seq. Kellenb. qu. 16. per tot.* Sic quoque filiæ simpliciter renuntiantes, vel Statuto a successione exclusæ, non numerantur inter Liberos, nec partem faciunt in computatione Legitimæ. *Vinn. quæst. Ill. L. 1. qu. 21.* Si vero sub assignatione certi alicujus dotis renuntiarunt, non quidem quoad augendam Legitimam

gitimam in numerum Liberorum erunt referendæ, bene tamen quoad eam minuendam. *Carpz. P. 3. C. 10. D. 14. Struv. S. I. C. Ex. X. th. 32.*

XVII. Nihil autem refert bona illa mobilia sint an immobilia, *Breul. de de Renunt. caus. 2. c. 4. n. 7.* corporalia an incorporalia, præsentia an futura, unde & a quo illa quoque sint quæsita, intuituque familiæ in eum, cujus hæreditati renuntiatum, translata, an alio respectu: est enim renuntiatio pura & ex tempore interpositionis æstimanda, executione quamvis in casum delatæ hæreditatis suspensa, hoc enim dispositionem aliquam non reddit conditionalem per *L. 5. C. qu. dies Leg. ced. L. 49. de Leg. 1. L. 48. de V. O. Kellenb. qu. 42. n. 62. seqq.* & hæc sententia rationi & causæ Renuntiationum finali valde videtur conveniens, utpote quæ conservationem familiarum respicit ad quam divitiæ opesque necessariæ, *Kellenb. c. l. Carpz. P. 2. C. 35. D. 4. n. 4. seqq.* Nec quicquam facit clausula: *Rebus sic stantibus*, quam omnibus Renuntiationibus tacite inesse volunt, *Gædd. V. 1. Cons. Marp. 27. n. 183. Kellenb. qu. 27. n. 7. Carpz. c. l. D. 23. n. 2.* easque non posse extendi ad non cogitata, *Id. c. l. D. 15. n. 3.* add. *L. f. C. de non num. pec. L. 77. de C. E. V. c. 16. X. de Iurej.* qua de clausula vid. *Tiraquel. ad L. si unquam C. de Revoc. Don. n. 165. Alb. Gentil. de I. Belli l. 3. c. 14. p. 599. Vult. Cons. Marp. 21. V. 3. n. 255.* qui omnes eam non ad bona quibus, sed personas, quarum causa renuntiatum referunt, ita ut deficientibus Masculis fœminis denuo pendatur aditus ad hæreditatem renuntiatam. *Muscul. membr. 2. Concl. 6. lit. L. 1. 270.*

XVIII. Est vero necesse bona esse allodialia, de Feudalibus enim ex Jure Feudali constat, in iis omnem dispositionem Vasalli ratione modi succedendi esse prohibitam *1. F. 8. pr. in f. Schrader. de Feud. P. 7. c. 2. n. 22.* & eitra renuntiationem ex ipsa constitutione Consuetudinum Feudorum fœminæ jam sunt exclusæ a successione in Feudis, *1. F. 8. 1. F. 13. 2. F. 11. 31. & 36.* etiamsi Feudum sit fœmineum *2. F. 11. 30. & 50.* vel etiam in Feudi acquisitione speciali pacto fœminis prospectum *1. F. 1. §. 3.* cum nec his fœminæ prius succedant, quam ubi nemo ex Masculis superest *cit. text.* imo nec in Feudo hæreditario, multis licet dissentientibus. vid. *Carpz. P. 3. C. 28. D. 11. Struv. S. I. F. c. 4. th. 13. & c. 9. th. 8. Kellenb. qu. 26. n. 14.* Emphyteuticis vero bonis recte renuntiatur, cum in illis quoque fœminæ succedant. *N. 7. c. 3.* speciali tamen hic renuntiatione opus, *Kellenb. qu. 27.* quod & de Substitutionibus fidei commissariis dicendum, *Id. q. 30. Muscul. membr. 2. concl. 7. lit. F. n. 363. seqq.*

XIX. Tot vero modis valide renuntiatur, quod consensus ac voluntas rite demonstrari potest, quod fit vel expresse per verba directe ad renuntiationem tendentia, arg. L. 35. §. 1. 2. *C. de Inoff. Test. L. f. C. qu. Mul. Tut. off. fung. L. 6. de R. C.* vel tacite, per facta aut actus Renuntiationem necessario inferentes;

rentes; vid. *L. 2. §. 1. de pact. l. 142. de R. I. l. 77. de a. l. o. hæred. Enenck. c. tr. Priv. 14. P. 1. c. 13. n. 8. seqq.* vel per actum inter vivos, e. gr. pactum, stimulationem, vel per ultimam voluntatem, *arg. t. t. de Liber. Leg.* Hinc profluunt Renuntiationum divisiones in Expressas & Tacitas, *Gail. 1. O. 116. Dalner. de Renunt. c. 3. Enenk. de priv. I. Civ. l. 3. c. 15.* Conventionales & citra conventionem, *Dalnerus l. c. c. 17.* nudas & non nudas *Giphan. c. 1. in f.* simplices & juratas, *Dal. c. l.* Judiciales & Extrajudiciales, Scriptas & non scriptas: quibus addi meretur divisio in Generales, Speciales & Specialissimas s. Subalternas, de qua vid. *Tiraqu. ad L. Si unquam 8. C. de Revoc. donat. Carpz. P. 2. C. 17. D. 1. Giphan. de Renunt. c. 1. p. 317.* nec non partitio in personales & reales, *ex Wes. ad tit. de pact. n. 4. Gail. 2. O. 2. Dalner. c. 1. in f.*

XX. Ipse Renuntiationis actus ut rite peragatur, certa quædam observanda sunt requisita, quæ vel personæ renuntianti & cui renuntiatur communia, vel etiam alterutri harum personarum propria. Ad illa spectat *Præsentia*, de qua *Gutierez ad. c. quamvis pr. n. 52. Covar. Rel. 3. pr. n. 6.* quod tamen ad personas Renuntiatiationem celebrantes restringendum, nec enim necesse est fratres esse præsentes, si paternæ hæreditati renuntietur, nisi vel ipsis fratribus, cum consensu tamen Patris, renuntiatio fiat, vel etiam expresse uni alterive filiorum renuntietur. *Covarr. c. l. n. 8.* Procuratorem tamen ab utraque parte intervenire posse existimo, in omnibus siquidem causis Civilibus, ubi de privato commodo agitur, Procurator intervenire potest. *L. 26. C. de procurat.* quod in plerisque locis receptum, & de dulcissimæ Patriæ consuetudine testatur *Cothman. V. 2. Resp. 99. n. 103.* ibi Renuntiationem nomine filiarum ab illarum Matitis vel Consanguineis peragi posse.

XXI. Ex certa quoque Scientia & libera Voluntate procedere debet Renuntiatio. Consensus enim duo habet principia, Intellectum & Voluntatem, actus igitur ex consensu mutuo proveniens, non potest dici perfectus, nisi hisce duobus sit stabilitus, quod de Scientia probant *l. 19. vers. nec enim C. de Inoff. Test. 12. de Novat.* de voluntate vero *l. 4. §. 4. si quis caut. jud. fist.* Ex hisce Dd. ad certiorationem Mulieri renuntiandæ faciendam argumentantur, *Schurpf. cent. 1. cons. 96. n. 1. Vult. V. 1. cons. Marp. 24. n. 177. Muscul. concl. 7. lit. I. n. 372.* cum Müllerus Jus ignorare credantur *l. 9. pr. de I. & F. ign. Breul. c. tr. caus. 3. c. 8. Enenck. de priv. Par. & Libb. priv. 14. P. 1. c. 13. n. 28.* quanquam sint qui Certiorationem superfluam existiment, tum propter clausulam in omnibus Renuntiationibus comprehensam. *Ex certa Scientia, Gail. 2. O. 41. n. 6.* tum etiam propter juramentum, quod vigore c. quamvis omnibus Renuntiationibus accedit, & loco certiorationis esse creditur, juramentum autem non est vel saltem non debet esse vinculum iniquitatis *c. 58. de R. I. in 6.*

c. 26. &

c. 26. & 28. X. de Iurej. c. 2. XXII. qu. 2. Hahn. de Jure rerum c. 18. n. 24. Kellenb. qu. 4. habetque vim geminati consensus, *Schrader. Cons. 12. n. 272.* cui inest vis clausulæ Ex certa scientia, rationemque enixæ voluntatis comprehendit *Goedd. Cons. Morp. 27. V. 3. n. 33. & Cons. 32, n. 221.* Idem de patrimonii valore dicendum, cum ejus Vires uxor scire præsumatur, *L. 1. in f. de A. E. V. L. 2. §. 33. Depositi*, nec in patrimonio paterno præter Legitimam quicquam prætendere possit, cui per dotis constitutionem satisfactum: quamvis forsan Kellenbentzii distinctio inter successionem futuram & delatam non adeo sit incongrua. Add. *Guid. Papa Decis. 227. Bened. in c. Rainutius 16. in. verb. duas habens filias, X. de Testam. n. 27. & 260.*

XXII. Ex parte Fœminæ renuntiantis Dd. vigore *d. c. quamvis 2. de pact. in 6.* requirunt Juramenti præstationem *Breul. caus. 3. c. 6. Muscul. membr. 2. concl. 5. lit. E. ibique citati*, quam adeo necessariam esse volunt, ut nec per æquipollens possit adimpleri, *Kellenb. qu. 3. n. 6. Bartschamp. Thes. pract. c. 31. §. 1. & c. 3. 57.* præsertim cum juramentum hic ad solennitatem requiri videatur, *Wes. Cons. 23. n. 56.* Invaluit tamen in plurimis Germaniæ provinciis, asseverationem factam, **bey Fürstl. Gräfl. und Adel. Ehren**/ vim juramenti habere. *Gail. 2. O. 59. Musc. c. l. n. 204. Breul. cons. 3. c. 7.* quod in praxi obtinere cum alleg. docet *Hahn. de I. rerum c. 18. n. 21. Betz. de pact. & Stat. famil. illustr. c. 7. p. 266.* Imo in nonnullis locis renuntiatio nuda promissione facta vim habet Renuntiationis juratæ, uti de Austria testatur *Illustr. Baro Enenck. c. tr. pr. 14. P. 1. c. 13. n. 19.*

XXIII. A parte ejus cui renuntiatur requiritur Dotis constitutio, non in uno nummo l. rosa consistentis, qualem existente Statuto filias dotatas a successione excludente sufficere voluerunt Baldus, Jason, aliique, vid. *Musc. membr. 2. cl. 1. concl. 4. lit. B. n. 127. in f. & concl. 5. lit. F. n. 221.* quos reprehendit illustris *Enenck. cit. l. c. 12. n. 4. in f.* sed congruæ, pro facultatibus Patris & dignitate Mariti, *L. 69. §. 4. de Jure dot.* quod & tenori d. c. quamvis & intentioni consuetudinis renuntiationem introducentis videtur convenientissimum, cum non præsumatur Consuetudinem plenarie filias a successione Parentum removere voluisse, sed potius illis Legitimam, vel aliquid loco legitimæ servare, ut proinde alimentorum constitutionem ad dies vitæ sine assignatione dotis, in casum matrimonii, non sufficere tradant Dd. cum tunc nihil sit, quod loco legitimæ succedat, *Betz. c. tr. c. 8, p. 378.* Quod praxis communiter observat, testantibus omnibus Renuntiationum Instrumentis, vid. *Springsfeld. de Apan. c. 12. n. 60. Spreng. inst. I. publ. l. 2. c. 41.* Nec supplebit hic dotis defectum religiosa jurisjurandi asseveratio Renuntiationi addita, ita ut dote promissa non soluta vigore juramenti præstiti Renuntians nihilominus obligetur ad servandum quod juratum, & a successione abstinendum, uti vult *Kell. qu. 42. n. 27.* Si enim filia tempore

renuntiationis nihil pro dote acceperit, dolo censetur facta Renuntiatio, nisi ex singulari ratione filia Parenti Jus dotandi remittere, sibique ex propriis bonis dotem velit & possit constituere, *Covarr. Rel. 3. §. 2. n. 7.* Dote autem a Patre promissa, Renuntiatio hæc mutuam includit obligationem, habetque respectum alterius promissionis, quibus actibus si juramentum addatur, eatenus illud servandum, quatenus & alter implet promissum, *c. 3. X. de Iurej. L. 5. ff. de L. Commiss. Grot. de I. B. & P. L. 2. c. 13. §. 16.* add. *Covarr. in c. quamvis, P. 1. §. 4. n. 6. de pact. in 6. Betf. de pact. fam. ill. c. 7. p. 305. sequ. & p. 313.* Videtur autem in hisce Renuntiationibus dos eo magis necessaria, quia hic quasi Legitimæ locum intrat, *Vult. V. 2. Cons. Marp. 29. n. 49.* & quadantenus in locum alimentorum succedit, *Campez. Comm. super stat. excl. fœm. n. 44. Everh. in Loc. Top. Legal. loc. ab alim. ad dotem & contra.* Ut adeo hic quam maxime favor dotis obtineat, quem Leges non tantum ratione fœminarum ei tribuunt, quo eo ipso æquam nubendi conditionem sibi parent, *L. 2. de Iur. dot. L. 18. de reb. aut. Jud. poss.* sed & respectu novorum Conjugum, ut succurratur oneribus matrimonii novis Maritis sustinendis, alimentationi v. gr. uxoris, liberorum, &c. *L. 29. C. de Iur. dot.* totiusque familiæ, *L. 22. §. 8. sol. matr.* & multis aliis, vid. *L. 21. §. 1. de Donat. inter. V. & U. L. 20. C. de Jur. dot.* quibus Dos regulariter non sufficit, *L. un. C. de impon. lucr. deser. c. 16. x. de Usur.* Maritus tamen non fert hæc onera, quia dotem accepit, sed dotem accipit, quia fert onera, unde dote licet non accepta, uxorem tamen expellere nequit, *L. f. C. de Repud.* In iis vero, qui continentiæ votum suscepere, in favorem familiarum & Agnationis, ex benigna interpretatione, alimenta Legitimæ vicem supplere dicuntur.

XXIV, Est autem Dos illa præstanda ex bonis paternis, si Patri renuntiatio facta, *L. f. C. de dot. promis. Alb. Brunn. Com. sup. stat. excl. fœm. art. 6. n. 235. sequ. Bened. ad c. Rainut. verb. duos habens filias x. de Test. 173. sequ.* ex aliis enim bonis si dotaretur filia, quæ illi jam ultro competunt, e. gr. maternis, non posset dici Dos, cum Pater, hæc bona tradendo, Liberis potius sua restituat, quam revera dotet, arg. §. *14. I. de Legat.* Unde quoque filia, in totum licet exclusa, non tamen censetur exclusa ratione dotis, *d. L. f. add. L. 19. de R. N. Honded. V. 2. P. 1. Cons. 11. n. 6.* nec satisfacit Pater officio suo dotandi, si filiæ loco dotis ea bona, quorum habet Usumfructum, pleno jure assignet, sicuti in Camera judicatum esse tradit *Mynf. 5. O. 22.* Vid. tamen *Tulden. in Cod. tit. de dot. promiss.* Nec liberabit regulariter Patrem ab onere dotandi, quod filia aliunde habeat, quo se dotare possit, necessitas enim dotandi simpliciter Patri incumbit, *Gail. 2. O. 95. n. 4. Enenck. c. tr. priv. 8. c. 3. n. 4.* nisi Pater ipse egeat. Quod si maternis etiam bonis renuntiatum, a Matre quoque dotem constituendam esse vult *Hahn. de I. Rer. c. 18. n. 19.*

XXV.

XXV. Nec sufficit dotem esse promissam, sed data sit & accepta requiritur. Dos enim promissa, vera dos non est, cum dos per rei traditionem demum plenarie constituatur, *L. 13. §. 2. de fund. dotal. L. 5. in f. sol. matr. L. 1. C. de dot. caut. Gail. 2. O. 47. n. 13.* non obst. *L. 6. C. de dot. promiss.* & aliis textibus a Diss. *Carpz. p. 3. C. 23. D. 3. n. 9.* adductis, non enim sequitur, Dos promissa etiam vocatur Dos, E. vera est Dos, Sponsus enim nonnunquam in Jure dicitur Maritus, nec tamen vere est Maritus. Sicut igitur pactum de mutuo contrahendo differt ab ipso mutuo, ita dos promissa a vera. Quod verum, si filia tempore renuntiationis jam tum nubendi conditionem invenerit, Dos siquidem sine matrimonio esse nequit, *L. 56. §. 1. de I. dot. L. f. C. de don. ant. nupt.* In nondum Maritatis vero sufficiet nuda dotis promissio, *Tiraqu. de Retr. conv. §. 7. ad fin. tit. Gloss. 2. n. 39.* cujus exsolutio in tempus contracti matrimonii differtur *L. 21. de Iure dot. c. 1. X. de adult.* ita tamen ut innuptæ nec de hac dote promissa disponere, nec eam aliis testamento relinquere, arg. *L. 41. de Condit. & demonstr.* nec, ab intestato decedentes, illam in hæredes suos transmittere possint. *Carpz. P. 2. C. 46. D. 20. Springsfeld. de Apanag. c. 12. n. 67.* Interea tamen alimenta ex dote & pro quantitate dotis solent præstari, ita ut si dos sit 4000. thalerorum, quotannis 200. pro alimentatione præstentur vid. *Enenck. Priv. 14. P. 1. c. 12. n. 5. Springsfeld. de Aapn. c. 5. n. 11.* quanquam in personis illustribus majores ratione dotis concedi solent Usuræ quam in aliis contractibus, vid. *L. f. §. 2. C. de Jur. dot.* ubi sedes materiæ Usurarum dotis. Patri autem Jus alendi competit, *L. 5. §. 1. de Jur. dot.* Mater tamen in subsidium quoque alimenta præstare tenetur, *Carpz. P. 2. C. 10. D. 19. Selden. de Succ. Ebr. c. 9.* qui & *sequ. 10.* de taxatione alimentorum agit.

XXVI. Hujus dotis quantitas, uti dictum, æstimanda ac determinanda ex facultatibus Patris & dignitate Mariti, *L. 43. ff. de Leg. 3.* quibus an conveniat, constabit ex arbitrio Judicis vel boni Viri, *Carpz. P. 2. C. 35. D. 5. n. 5.* vel etiam ex Constitutione Parentum, siqui adsint, propter salutare consilium, quod pro Liberis capere præsumuntur. *L. 35. C. de Transact. L. f. C. qui & adv. quos. Frantzk. L. 2. Res. 4. n. 49. Vult. V. 2. Cons. Marp. 29. n. 46. & 48.* qui tamen n. §1. cum multis male existimat, dotem Legitimæ omni ex parte debere correspondere, ipsa enim legitima minui potest, uti late ostendit *Muscul. c. tr. concl. 7. lit. B. n. 29.* & pluribus *Illustr. Baro Enenck. Priv. 14. P. 1. c. 12. n. 4.* quibus addi merentur *Dietrich. ad A. B. tit. 25. verb. patrim, facult. Merlin. de Legit. l. 5. tit. 1. qu. 6. n. 6.* ut & plane tolli, ex justa nimirum exhæredationis causa, *Pereiz. ad tit. C. de Inoff. Test. n. 3. Enenck. c. l. c. 13. n. 3. Ant. Faber in Cod. Def. 19. add. Grot. L. 2. I. B. & P. c. 7. n. 4.* Omne enim pretium, sicut ipsa successio, accipit a commodo aut incommodo Civilis societatis, uti eleganter demonstrat τὸ πᾶν *Conringius, in not. ad Lamp. P. 3. c. 4. §. 8.* Dotis ipitur constitutio ad norman Legi-

timæ adeo exacte non erit dirigenda, sed pro ratione circumstantiarum vel major vel minor constituenda, quod & in Apanagio obtinere videmus, *Dietrich. ad A. B. tit. 25.* cujus cum hac dotatione magna est convenientia. Dotes tamen filiarum majores debent esse quam fructus apanagii, quoniam dotes semel dantur, fructus apanagii vero annuatim percipiuntur. *Limn. ad A. B. c. 25. §. 2. Obs. 12. inf.* Nec locum hic invenit distinctio Boerii, Maranthæ, aliorumque inter dotem ab Extraneo & inter dotema Patre constitutam, Patri enim semper necessitas dotandi incumbit, inprimis in Renuntiationibus, & quidem ex bonis propriis, determinatio tamen dotis, utpote Juris privati, pro arbitrio dotantis nunc major erit nunc minor, *Muscul. c. l. n. 299. Honded. V. 1. P. 1. Consult. 10. n. 14.* Add. *Kell. c. tr. qu. 42. n. 36.*

XXVII. In determinatione autem dotis non tempus mortis, ut in Legitima, *L. 6. C. de Inoff. Test.* sed renuntiationis inspiciendum *Covar. Rel. 3. §. 4. n. 15.* addatur ratio supra §. 15. allata, cui accedit, quod filiæ renuntiantes ab intestato succedere nequeant, *Kellenb. qu. 1. n. 9. Muscul. c. l. n. 284.* Quo ipso cadit illorum sententia, qui auctis bonis dotem quoque augeri volunt. *Gutierez. ad c. quamvis, summ. Filia n. 7. 8. Giphan. de Renunt. c. 6. p. 311.* præter allata enim finalis quoque Renuntiationum causa iis refragatur, *Kellenb. qu. 42. n. 66. in mæd. Carpz. P. 2. C. 35. D. 4. n. 4. Covarr. d. l. §. 1. n. 3.* Nec enim diminutis bonis dos minui potest, *Boerius Decis. 62. per tot.* ob dubium, fortunæ casum, qui pariter dotis augmentum impediet. Præterea semel legitime factum supervenienti casu non annullatur *L. 2. de Itin. act. priv. L. 25. C. de adm. Tut.* Dos autem hic tempore Renuntiationis censetur fuisse Legitima.

XXVIII. Eadem erunt dicenda in filia spirituale matrimonium contrahente *c. 10. XXVII. qu. 1.* per ea quæ habet *Laur. de Palat. Comm. super stat. excl. fœm. n. 89. seq. Covarr. §. 2. n. 4. in f. Honded. V. 2. P. 1. Consult. 11. n. 12.* nisi quod majorem dotem nubentibus quam cælibem vitam eligentibus assignandam putet *Boer. Dec. 3. n. 13. Muscul. cl. 1. membr. 2. concl. 5. lit. F. n. 226.* Mortuo autem priori Marito filia tempore primarum nuptiarum & renuntiationis rite & legitime dotata, non denuo erit dotanda. *Aut. sed quamvis C. de R. U. A. N. 97. c. 5.* Hic enim Dos post mortem prioris Mariti non revertitur ad Patrem viduæ, sed pleno jure apud eam remanet. Et semel dotata, non est iterum dotanda, licet perdat dotem, *Chass. ad Consu. Burg. Rubr. 7. §. 12.*

XXIX. Sive autem hæ Renuntiationes nuptias præcedant, sive eas sequantur, nihil interest. Omni enim tempore locum habet ratio cum quamvis, non obst. quod ibi dicatur, nuptui tradebatur, ponit enim facti narrationem, non Juris dispotionem, *Bened. ad c. Rain. verb. Duas habens filias X. de Test. n. 260.* Et ali juod dies post copulationem demum renuntiatum fuisse illustri exemplo

probat

probat *Springsfeld de Apan. c.12.n.62.* quamquam utplurimum ante ingressum thori maritalis fiat. Non tamen necesse Sponsum vel Maritum consentire. *Breul. caus.3. c.9.* quanquam tutius existimem consensum Mariti, præprimis si illustris, & in summa potestate constitutus, adhiber: nec Liberorum, præsertim Majorum, consensum negligendum puto, ne hi defunctis Parentibus illarum Renuntiationes impugnare conentur. Majoris quoque certitudinis gratia, Renuntiatione celebrata, solent fœminæ literas Reversales manu propria, Sponsique, si quis adsit, munitas, quæ vulgo Verziegbrieffe vocantur, tradere. *Sprignsfeld de Apan. c.12. n.60.*

XXX. Finis harum Renuntiationum non Familiarum tantum conservationem, sed & Reipubl. utilitatem concernit. Masculi enim soli familiam conservant & illustrant, & in Agnatis proprie familia consistit, L.*195. de V. S. Enenck. d. tr. priv.14. P.1. c.12.n.12. Muscul. membr.2. concl.4. lit. B. n.123. Arnis. de Rep. l.2. c.2. Sect.12. n.59. & 60.* qui belli pacisque tempore Reip. inserviunt, ejusque onera gerunt *L.2. de R.I. L.3. §.3. de Mun. & Hon. Reink. in L. f. C. de pact. n.196. Betf. de pact. fam. ill. c.4.* E contra fœminæ familiæ suæ finis sunt, *L.195. §.5. L.196. §.1. de V. S.* nec ob sexum publica Reip. munia subire, *L.2. de R. I. Arnis. c. l. n.69.* possunt: nec enim Magistratus, nec Sacerdotia, nec triumphi, nec insignia; nec dona aut spolia bellica his contingere possunt, inquit *L. Valerius in Orat. pro abr. Leg. Oppiæ apud Liv. l.34. c.7.* aliasque ob sexus masculini præstantiam in multis juris articulis longe deterioris sunt conditionis quam Masculi, *L.1. pr. de Senat. l.9. de statu hom.* Et unus Vir, ex sententia Iphigeniæ apud Euripidem, lucis aspectu dignior est quam mille fœminæ. Ut propterea etiam filiæ facilius excludantur ab hæreditate paterna quam secundogeniti, *Betf. c. tr. c.8. p.384. & c.10. p.640. Gaudent. Diss. de sœm. excl. add. tr. de Inst. sec. mor. c.9. Enenck. c. l. c.12. n.19.*

XXXI. Ut autem Masculi familiæ splendorem sustentaræ queant, opibus & divitiis opus est, vid. *L.3. §.6. de Leg.2.* teste siquidem Experientia per divitias, præsertim inveteratas, sustinentur & crescunt, familiæ Nobiles, sine illis vero decrescunt, sordescunt & pereunt, *Monald. V.2. Cons.13. n.5. Knipsch. de fideic. fam. Nob. c.7. n.11. seqq.* egestate quippe sordentibus vita est supplicium & mors solatium, *L.5. C. ad. L. Iul. Maj.* & absque facultatibus lubrica & manca dicitur Nobilitas, *Muscul. membr.2. cl.1. concl.4. lit. B. n.116. Bened. ad c. Rainut. vers. duas habens filias X. de Testam. n.129. seqq.* Unde licet duæ sint præcipuæ alæ, teste *Betf. c. tr. c.10. p.721.* quibus omni tempore sese. Nobilitas a contemtu vindicare, & e sordibus ad excelsa honorum fastigia eluctari queat, Literæ nempe & arma, ut tamen in hisce a teneris statim unguiculis exerceri, & postea foris virtutes togatas pariter ac bel-

licas

licas addiscere possit, pecunia opus est, sine illa enim nihil fiet quod opus, cum bona sint nervus rerum gerendarum, & sicut sanguinis vitæ naturalis, ita bona vltæ Civilis vehiculum sunt, sine quibus nec familiæ dignitas nec personæ potest stare authoritas. *Reink. ad L. f. C. de pact. n. 125. Klock. T. 3. Cons. 182. n. 147.* Hinc Juvenalis:

Haud facile emergunt, quorum Virtutibus obstat
Res angusta domi.

& Euripides:

Curia Pauperibus clausa est, dat census honores,
Inde gravis Judex, inde severus Eques.

XXX. Reipublicæ quoque salus & utilitas hoc exigit: Interest enim Reipublicæ Ordinum ac familiarum de Republica bene meritarum dignitatem esse salvam, *L. 1. §. 13. de Ventr. inspic. L. 9. C. de quæst. Molin. de Hisp. prim. Iure L. 2. c. 1. n. 3. Wehner. obs. pract voce* Kräyß/ Kräyßtag/ *p. 449.* Maxime vero Illustrium & Nobilium, utpote quibus inprimis tam pacis quam belli tempore Respubl. in paribus sui concreditur gubernanda, ita ut illis tanquam columnis Respublica magna ex parte innitatur, & firmamentum munimentumque regalis potentiæ ex illustri Nobilium familiarum dignitate sit reputandum. *Anton. Robert. rer. jud. L. 2. p. 352. Muscul. membr. 2. cl. 1. concl. 4. lit. B. n. 17.* Unde qui amplificandis & augendis illustribus familiis studet, ille publicæ utilitati principaliter prospicere dicitur. *Knipsch. c. tr. c. 7. m. 7. n. 4. seqq.* Hinc *Petrus Ant. de Petra in tr. de pot. Princ. circa Ius quæs. toll c. 32. quæst. 5. n. 38.* propter publicam inquit utilitatem, quæ consistit in conservatione familiarum, in agnatione potest lædi pietas per Principem, condendo v. gr. Statutum, quod excludat Matrem a. successione filiorum, quamvis enim hæreditas Parentibus pietate quadam relinqui debeat, ordine mortalitatis turbato, nihilominus, quia divitiis conservantur familiæ familiarumque dignitas, propter inopiam vero honestas perit, conservatio autem dignitatis ac familiæ ad publicam pertinet utilitatem, publica hæc utilitas vincere debet supra dictam pietatem. Nec statim filiabus & fœminis hoc inutile dici potest: quod enim publice utile est privatis quopue erit utile, cum a salute dignitate Reipublicæ privatorum etiam dependeat salus & utilitas, nec enim id tantum servandum, quod privatim unius ex sociis interest, sed quod societati communi expedit, dicitur in *L. 52. §. 5. pro socio.*

XXXIII. Operantur hæ Renuntiationes mutuam quandam Obligationem inter Renuntiantes, & illos, quorum hæreditati renuntiatur, vigore cujus illis dos cauta præstanda & alimenta, hi vero fœminas Renuntiantes exceptione removere possunt, arg. *§. 3. I. de Except.* solentque in Camera Imperiali mandata

data sine clausula decerni contra fœminas, quæ Renuntiationi stare detrectant. *Betf. c. tr. c. 8. p. 365.* quod non tantum in illis sed & in illorum descendentibus obtinet, juxta regulam universalem a *Seld. de Succ. Hebr. c. 2.* traditam: Ubi quis est successione hæreditaria præferendus, universa etiam proles, quæ e femore ejus egreditur, est præferenda. Datur igitur & his Exceptio, nulla vero actio, cum Renuntiatio non impediat delationem hæreditatis, sed ejus acquisitionem, *Musc. cl. 1. membr. 2. concl. 6. lit. L. n. 774. in f.* Pro dote vero exigenda datur vel condictio ex Lege, *L. 6. c. de dot. promiss.* vel actio ex Stipulatu, licet nulla stipulatio intervenerit, *l. un. §. 1. & 13. c. de R. U. A.* In sola siquidem materia dotis Jura nostra tacitam fingunt intervenisse stipulationem, quæ alias sine certa verborum solennitate, in interrogatione verbali & congrua ac in continenti facta responsione consistente, peragi nequit, *pr. I. de V. O. L. 1. §. 1. Eod. l. 1. §. 1. de O. & A.*

XXXIV. Dicta obtinent in Masculis naturalibus & Legitimis simul, an vero & in Legitimatis per subsequens matrimonium inter Dd. controvertitur. Negativam multis defendit *Petr. Ant. de Petra de pot. Princ. in jur. quæs. tol. c. 32. n. 10. seqq.* Affirmativam vero communiorem dicit *Caval. in Spec. com. opin. quæst. 2. n. 14.* Mihi tutissima media videtur via, quam & *Tiraqu. in tr. de I. prim. pr. quæst. 34.* ad Jus primogenituræ accommodat, ut scilicet Fœmina, quæ renuntiavit, præferatur Masculis post Renuntiationem per subsequens matrimonium legitimatis, secus si ante legitimati. Aliis tamen legitimatis semper præferri existimo, nec enim facile Princeps per suum Rescriptum Naturales legitimat exstantibus Legitimis, *Aut. præterea C. de Natur. lib. n. 89. c. 9. Gail. 2. O. 142.* Add. *Brun. Com. sup. stat. excl. fœm. art. 12. n. 47. Betf. c. 6. p. 190.*

XXXV. Fœmina vero ita per Renuntiationem exclusa a Successione, non in totum vel in perpetuum censetur exclusa, sed tantum dum Masculi existunt: Jus enim fœminæ non penitus exstinctum, sed interea dum Agnatio floret, dormit & in suspenso est. *Mynf. Resp. 97. n. 12.* Nec licet Masculis in fœminarum, quæ renuntiarunt, præjudicium statuta vel pacta facere latiorem exclusionem inducentia, *Betf. c. tr. c. 4. p. 89.* Omni autem agnatione exstincta admittitur Cognata, licet fœminæ ab Agnato ultimo adsint, *Kell. qu. 19.* sive clausula: **auff einen ledigen Anfall**/ adjecta, sive non. Renuntiationes enim non facile præsumuntur factæ a fœminis sine causa, & sine reservatione alicujus spei succedendi, cum liberæ sint, *L. 29. c. de pact.* Semel autem ob non existentiam Masculorum admissa, si postea masculi superveniant, ex quo est semel admissa nunquam excluditur, *Gabriel de statut. concl. 4. n. 8.* Vid. de hac aliisque Renuntiationibus adjici solitis clausulis, *Vital. de Gamban. de Clausul.*

XXXVI. Cum autem in Juris sui cessione seu Remissione verba, quantumvis

tumvis generalia, restringi debeant ad ea, de quibus verosimiliter cogitatum, *Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 16. §. 12. Puff. de I. N. & G. l. 5. c. 12. § 13. Carpz. P. 2. c. 46. D. 12. n. 6.* præterea Renuntiationes sint stricti Juris, stricta quoque in iis servanda erit Interpretatio, nec ultra casus & personas in ea expressas extendenda, *l. 21. c. ad SCt. Vellej. Honded. v. 1. p. 3. cons. 29. n. 107.* ut adeo fœmina generaliter successioni renuntians, ad successionem in Emphyteusi recte admittatur, *Kellenb. qu. 26. n. 13.* & filia renuntians hæreditati paternæ fratris successionem recte capiat, licet in illa sint bona nisi paterna, *Natta T. 4. cons. 687.* Renuntians tamen hæreditati ex testamento nullo modo neque de J. Civili neque Prætorio admittitur, & simpliciter renuntians videtur omni juri hæreditatem quærendi renuntiasse, arg. *L. 13. §. 2. & 3. ff. de Jurej. Natta T. 3. cons. 315. n. 16.* Cum vero ratione fœminarum odiosæ sint, in illarum favorem erunt interpretandæ *Musc. cl. 1. concl. 4. lit. A. n. 105. & 108. concl. 7. lit. E. n. 353. Vult. V. 3. Cons. Marp. 21. n. 247.*

XXXVII. Ejusmodi Renuntiatio, quoad omnia rite ac legitime celebrata, nec ob læsionem ultra dimidium ex *l. 2. c. dec. vend.* nec ob supervenientiam Liberorum, arg. *l. 8. c. de Revoc. donat.* infirmatur. *Gutierez cons. 22. n. 31. Muscul. c. l. concl. 7. lit. B. Carpz. P. 2. C. 35. D. 4.* Dolo tamen metuve extorta neutiquam subsistit, sed dabitur renuntianti actio de dolo, si a tertio dolo inducta, quod etiam fit, si falso asseratur renuntiationem in familia esse usitatam, mendacium enim sine dolo esse nequit, *l. 8. 9. 37. de dolo, L. 43. §. 3. de furtis.* si vero a Patre vel Matre, actio subsidiaria in factum, *l. 5. in f. c. de dol. mal. Hahn. de Jure rerum c. 18. n. 22. 23. Covarr. Rel. 3. §. 4. n. 2.* adeo ut & Metus reverentialis obstare videatur, propter *l. 4. de R. I.* & quia minor Metus in fœmina quam in Mare sufficit, *Kellenb. qu. 42. n. 74.* Ut tamen tum Renuntiatio effectu destituatur, Renuntians recte absolutionem a juramento, si quod accesserit, petet. *Id c. l. n. 77.* Pater quoque testamento filiam, quæ suis bonis renuntiavit, instituens, consetur tacite renuntiationem remisisse, *Gutierez ad c. quamvis, n. 11.* Pariter pactum Patris cum filia, quæ renuntiavit, initium, Renuntiationem, statuto quamvis introductam, modo absque tertii præjudicio fieri possit, infringet, pactum enim per Patrem cum Liberis factum in ultimam voluntatem convertitur, habetque vim supremi judicii, nisi tam ex testamento, quam ab intestato filiæ exclusæ, *Betf. de pact. fam. illustr. c. 4. pag. 76.*

XXXVIII. Affinia jura sunt, Jus Primogenituræ & Majoratus, de quibus vid. *Tiraquel. Engelbrecht. Joan. de Cirier, Jac. a Saa,* aliique, nec non Dd. ad *tit. 25. A. B.* De differentia vero horum duorum Jurium inter se vid. *Arnold. Engelbrecht. de Jurisd. vet. Reip. n. 142. Springsfeld de Apanag. c. 5. n. 8. seqq.*

Et

Et pauca hæc eaque exigua de illustri ac amplissima hac materia delibasse sufficiat, plura, & limatiora annuenti divino Numine commodior occasio suppeditabit.

Anhang

XXXI.

ORATIO DE NEXU STUDII CRITICI CUM PRUDENTIA JURIS PUBLICI,

Pro Loco habita à

JOH. JACOBO MOSER, J. U. Dd. & P. P.

TUBINGÆ,

Anno 1728.

PRÆLOQUIUM *Continet Excusationem Thematis.*

Dicturus modò, Auditores, solenni hac in Panegyri: *de nexu Studii Critici cum prudentiâ Juris publici*, vereor, ne novaturire Vestrorum plurimis, neque Thema frugi, dignumve, quod pro capessendô munere Professoriô deducatur hanc in Chathedram, selegisse videar. Ecquis enim Vestrûm, Auditores, vel fando inter nos audivit hactenus, esse aliquem Critices cum prudentiâ Juris publici nexum, esse aliquem illius in hoc addiscendo poliendove usum? Et quotusquisque est ex Vobis, qui de Arte Criticâ alium sibi formet conceptum, quàm quod sit scientia quædam propria Grammaticis & Verborum Regulis, (a) quibus quid cum Jure Imperii nostri Romano-Germanici publicô ejusve prudentiâ rei sit, non apparet? Liberabitis me verò, Auditores, ita confido, à suspicione novaturiendi criminis, discetisque justum Studio Critico statuere pretium; concipietis verò

(a) Ita in universum Criticos, sed non sine sale nimiô, appellitat GOTTLIEB GERHARD TITIUS im teutschen Lehen-Recht Cap. 3. §. 30. p. m. 75.